

» nos et Romanam ecclesiam omnino prosequi decrevisse respon-
 » derent; ne quid omitteremus de iis, quae nostro incumbunt offi-
 » cio, eosdem venetos, quos ob invasum Ferrarensis territorium,
 » prolatas in id facientes nominatim in Coena Domini per nos et
 » praedecessores nostros Romanos pontifices ecclesiasticas censu-
 » ras et poenas incurrisse notorie constabat, ut jure optimo facere
 » potuissemus, censuras ipsas incurrisse minime declaravimus, sed
 » ut mitius ageremus cum eisdem, nostris patentibus litteris, eos,
 » ut a bello praedicto tam injusto desisterent, et occupata restitue-
 » rent, denuo monuimus et requisivimus, ecclesiasticas quas facti
 » qualitas exigebat sententias, censuras et poenas proferentes in
 » eos, si nostris, ut debebant, tam sanctis tamque justis non obtem-
 » perarent mandatis. Ipsi vero quanto mitius processimus contra
 » eos, tanto magis excedere non formidarunt. Nam non solum mo-
 » nitionibus et mandatis praedictis obtemperare, aut praefixi eis
 » ad id termini prorogationem petere et de parendo spem dare
 » non curarunt, immo spiritu rebellionis assumpto, accersitis in
 » eorum ducali palatio nonnullis praelatis ecclesiasticis tunc Vene-
 » tiis commorantibus, coram eis ut honestis personis, a monitioni-
 » bus et mandatis hujusmodi nostris ad tribunal omnipotentis Dei
 » et ad id quod de proximo celebrari debere temere affirmare
 » non erubuerunt futurum generale concilium appellare et ut ap-
 » pellatio ipsa per eosdem praelatos reciperetur, laudaretur et ad-
 » mitteretur, ac tandem ad nostram deduceretur notitiam, procu-
 » rare, et Christi fidelibus, clero et populo cuiuslibet civitatum,
 » terrarum et locorum eorum ditioni obtemperantium, quod praetextu
 » appellationis hujusmodi monitionibus et mandatis nostris
 » obtemperare non tenerentur, nihilque contra eos hujusmodi praetex-
 » tensa eorum appellatione pendente posse aut debere innovari
 » persuadere et eorum animas hujusmodi falsis persuasionibus
 » illaqueare non formidarunt in hujus sanctae sedis apostolicae
 » auctoritatis contemptum, perniciosum exemplum et scandalum
 » plurimorum. A quibus omnibus veneti praedicti profecto ut